DE
CARCINOMATE VENTRICULI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIANA
HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE ADIPISCENDOS SCRIPSIT
ET DIE XXV. M. AUG. A. MDCCCLV
HOR. X.
UNA CUM THESIBUS PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

JULIUS FRANCISCUS PURRUCKER
SAXO-BORUSSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT
G. GOLDHORN, MED. DD.
C. SACHTLEBEN, MED. DR.

HALIS SAXONUM
FORMIS EXPRESSUM GEBAUERIO - SCHWETSCHKIANIS.

MANIBUS PARENTUM

HASCE PAGELLAS PIO ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

Inter varios morbos, qui in ventriculo considunt, non minima est degeneratio carcinomatosa et quia crebro adest et quia gravius vehementiusque ceterum afficit organismum et quia adhuc omnibus, quotcunque sunt, medicamentis adversus eum adhibitis tenaciter obstitit. Multi quidem et doctissimi viri, qui in nostra doctrina elaboraverunt, summum huic morbo tribuerunt studium maximamque in eo perscrutando posuerunt operam. Sed quamvis bonus eventus eorum experimenta sit secutus, quae fecerunt, ut morphologiam ejus morbi perspicerent ac cognoscerent, tamen, quod therapiam ejus attinet, permulta adhuc faciunda restant, nec jam facta sunt. Quid, quod vel cognitio morbi ipsa et discrimen inter eum et alios, qui similibus cum symptomatibus

procedunt, initio multis casibus difficillimum est et interdum tum demum morbus discerni potest, quum jam aliquantum provectus est.

Species, quibus carcinoma ventriculi se praebet, haec sunt: Scirrhus, fungus medullaris et carcinoma alveolare. Scirrhus creberrimus est, minus crebro fungus medullaris se ostendit, rarissime vero carcinoma alveolare occurrit. Est etiam praeter has tres species quarta, sed tamen rarissima, dico, melanosis ventriculi.

De ortu sirrhi Rokitansky haec fere docet: „Der fibröse Krebs erscheint in Form einer Verdickung des fibrösen Zellstratum, das zugleich zu einer matt-weißlichen, fibrös-speckigen Masse erstarrt und mit der Schleimhaut sowohl als mit der Muscularis verschmilzt. Die Letztere erbleicht und geht allmählich eine merkwürdige für alle Krebse characteristische Veränderung ein, indem sie gleichfalls mit Dickezunahme zu einem blaßgelben, röthlichen fächerigen Gewebe entartet, dessen Räume eine matt durchscheinende, dem Ansehen nach crystallinische Gestalt erfüllt" *).

*) Rokitansky path. Anat. p. 206.

Dum tunica muscularis omnibus partibus aequaliter crescit, haud id inveneris in tunica cellulosa submucosa, eoque efficiuntur inaequales protuberantiae interioris ventriculi superficiei. Tunica mucosa degenerat, transiens aut in carcinoma alveolare aut in fungosas excrescentias. Creberrime autem invenimus tunicam mucosam mollem et nigram, sanguinemque e vasibus egressam, quo efficitur, ut tunica cellulosa degenerata aut molli tantum tegumento tunicae mucosae sit operta, aut plane nuda. Quae mutationes tunicae mucosae quum fiunt, aut scirrhus, eo loco, quo nudus est, gangraena destruitur aut oriuntur excrescentiae vasculosae, quibus exulceratis, ulcus circumscriptum, marginibus vallatis circum cinctum, relinquitur. Quae carcinomatis species facile potest haberi pro hypertrophia tunicarum ventriculi; neque tamen in ea degeneratio tunica muscularis ea, qua supra monstravimus, forma se ostendit, nec illam hypertrophiam inaequalem prae se fert. Accedit quod singulae tunicae initio altera super alteram possunt moveri.

Altera forma, qua indutum carcinoma in ventriculo existit, est carcinoma alveolare, quod aut ex scirrho oritur aut statim in initio adest et quidem aut infiltrationis forma aut tuberosi tumoris in tunica cellulosa.

Restat, ut tertiam commemorem speciem: carcinoma alveolare, quod plurime in tunica mucosa e scirrho oritur, ut jam supra diximus. Est quasi quaedam effigies seu instar conglomeratarum cavernarum, quae subflava et cana massa sunt impletae.

Ventriculus plerumque primus morbo corripitur atque inde degeneratio carcinomatosa in vicina organa transit, ut in pancreas et in glandulas lymphaticas, quae pancreas et ductum choledochum cingunt, unde in rete, colon transversum, hepatem transgredi potest. Raro accidit, ut ventriculus secundus morbo corripiatur, malo, in organis supra nominatis exorto, in eum transgrediente. Creberrima hujus mali sedes est ea pars ventriculi, quae dicitur pylorus, plurimeque ibi invenitur scirrhus et — quum is longius jam progressus est — carcinoma alveolare. Unde scirrhus progreditur praeter parvam ventriculi curvaturam, et quidem parcens plerumque ventriculi fundo. Rarius cardia ventriculi degeneratione carcinomatosa corripitur, quae, si exoritur, formam fungi medullaris ostendere dicitur, dumque carcinoma se expandit in majorem oesophagi partem scirrhus in pyloro plerumannulum pyloricum solum afficit neque in duodenum progreditur. Sed et pylori et cardiae degeneratione

stenosis amborum ostium efficitur. Stenosi pylori efficitur ventriculi dilatatio, cardiae stenosi ejus oesophagi partis dilatio, quae supra stenosim jacet, ventriculus vero coarctatur.

SYMPTOMATOLOGIA.

Symptomata, quibus malum, quum oritur, se ostendit, non sunt diversa alius, quae apparent in gastritide chronica, ideoque ambo status — nisi alio loco degenerationes carci nomatosae videntur — discerni omnino non possunt. Settamen carcinoma ventriculi haud paucis casibus in organismo solum existit. Dittrich inter duoquadraginta casus vicies sexies ventriculum et, quae eum circumdant, glandulae lymphaticas solas invenit degeneratas *).

Querantur aegroti laboriosam concoctionem, quamdiu digestio durat, obtusum sentiunt dolorem, compressionem et tensionem in epigastrio; simul aegroti flatulentiam queruntur eamque solum esse dolornm causam opinantur. Quo majus et durior bolus est,

*) Dittrich Prag. Vierteljahrschrift 1848. III, 110.

quem devorant, eo magis queruntur ea, quae supra commemoravimus. Aequam symptomatum depravationem acria spirituosa efficiunt. Sensim oritur ardor ventriculi, aegri sentiunt vomendi in citationem, simulque evomunt liquidam et mucosam massam et praecipue quidem mane, ventriculo jejuno. Tandem vomitus etiam post coenam exoritur et quidem vel unam vel complures horas postquam cibos conceperunt? Si vero aegroti certis utuntur cibis saepe aliquantum per tempus symptoma evanescit, revertitur autem, simulac vel aeger excessam commisit vel degeneratio ventriculi progreditur. Nec vero solum cum gastritidis chronicae symptomatibus hoc malum initio apparet, sed rcperimus aegros multos per menses vel annos nihil aliud queri quam impetus cardialgicos. *) Ex. gr. Henochius memoriae prodit de viro quodam, complures per annos impetitus cardialgicos passo: Dolores ex epigastrio in torsum et in humeros se expandebant, quibus cum erat conjunctus sensus pectoris constricti. Impetus plerumque duas vel tres per horas durabant, interdum omnino intermittebant, nequo nimio cibo augebantur. Vomitus, initio doloribus conjunctus, omnino plane cessaverat. Quibus causis aegrotus ille symptomata cardialgiae osten-

---

*) Henoch, Klinik der Unterleibskrankheiten. II. Band.

debat; sed color flavus et cachecticus cutis, macies et imprimis tumor maxime sensibilis in scrobiculo cordis situs carcinoma ventriculi manifestum reddebant.

Deinde, si degeneratio longius progreditur, symtomatum gravissimum est sensibilis ille durus et iniquus tumor, qui apparet aut in epigastrio aut in dextro hypochondrio aut omnino eô loco, qui cum degenerati ventriculi situ potest convenire. Saepe tumor oculis solis cognosci potest. Modo paene rotundus est, modo irregularis, nodosus, modo circuitum ejus accarate possis exquirere ac definire, modo non possis. Plerumque magnam praebet sensibilitatem, si premitur, interdum autem vel ea deest. Saepe tegumenta alvi super eum moveri possunt et tumor ipse mobilis est, saepe tumor, tegumentis alvi seu aliis organis concretus, immobilis redditur. Tumor supra aortam sive supra aliud majus vas jacens eorum pulsationem propagat, quae aut tactu aut interdum visu potest animadverti. Qui tumor gravissimis ventriculi carcinomatis signis adnumerandus est, ut jam supra diximus. Praecipue enim eo utuntur ad distingueudum carcinoma de ulceribus ventriculi simplicibus. Andral haec dicit de ejus gravitate in cognoscendo morbo: „Il suit de ces considerations, que hors le cas, ou une tumeur se fait sentir à travers

les parois abdominales, il n'existe aucun signe certain pour distinguer, ce qu'on appelle dans le langage médical ordinaire un cancer de l'estomac de ce qu'on appelle une gastrite chronique." *) Sed quamquam tumor ille praebet maxumam cognoscendi carcinomatis securitatem, tamen fieri potest, ut fallamur. Tumores enim sarcinomatosi, qui longe alium locum obtinent, facile ventriculi carcinoma haberi possunt. **)

Degeneratio carcinomatosa, quae in pytoro sedem suam habet, varia gignit symptomata, quae multum valent ad cognoscendum morbum. Nascuntur enim pylori stenosis signa. Crebro autem symptoma, quod supra gravissimum diximus, evanescit, Pyloro enim vicinis organis adhaesionibus alligato, induratio extrinsecus sentiri non potest. Sed quum non solum carcinomate, sed etiam aliis causis ejusmodi stenosis effici possit, carcinomatis diagnosis difficillima est. Si vero jam aliis locis degeneratio carcinomatosa se praebet; nempe in jecore, in glandulis lymphaticis, supra claviculam sitis, seu in utero, ovariis, peritoneo et in

---

*) Andral Clin. méd. T. II. p. 159.

**) Dittrich Prager Vierteljahrschrift 1848. p. 105.
Andral Clin. méd. T. II. p. 734.

intestino recto, morbus facilius cognoscitur. Non modo scirrhus sed etiam aliae causae pylori stenosin officere possunt; ex. gr.: compressio pylori carcinomate hepatis seu retis parvi seu aliis tumoribus effecta, etiamque ulcus, quod in pyloro fuerat, cicatrice obductum. E qua pylori stenosi primo alimentorum accumulatio in ventriculo gignitur, quae jam non tam facile in duodenum pervenire possunt. Nonnullas igitur horas post coenam vomitus exoritur, qui non minus gravissimis ventriculi carcinomatis signis adnumeratur. Sed tamen nonnullis in casibus deest. Accumulatione enim massae carcinomatosae in tunica cellulosa valde progressa ventriculus coarctatur et ejus cavum interdum paene deletum, parietes vero spissatos invenimus; quibus causis efficitur, ut ventriculi lumen duodeni lumini adaequetur. Quum igitur nutrimenta, neque ventriculum dilatere, neque facile in duodenum pervenire possint, vomitum succedere necesse est. Degeneratione vero pylorum tantum seu partem pyloricam ventriculi capiente, cetero vero ventriculo intacto, vomitus nequaquam eo modo, quo supra diximus, exoritur. Tum enim alimenta in ventriculo accumulata partem ventriculi adhuc intactam valde expandere possunt, qua dilatatione tunica muscularis debilitatur et ventriculus in dies aptior ad dilatandum fit. Plerumque parietes ventri-

culi dilatati eodem tempore extenuantur, quo perforatio eorum nasci potest. Interdum vero hypertrophia ipsa parietum ventriculi et praesertim tunicae muscularis observata est. Qua ventriculi dilatatione vomitus rarius exoritur, quam antea, quum alioquin aegroti semper fere tres vel quatuor horas post coenam evomunt ventriculi contenta, illa multo diutius vel complures per dies stagnantur et tum demum, quum ventriculus maximum dilatationis fastigium assecutus sit, vomitus exoritur et quidem plurimus. Nec tamen aegroti illo vomitu vehementer affecti sunt et saepe satis multum nutrimentum statim sumere possunt. Vomita consistunt plurime cibis partim tantum concoctis et bili mucoque irrigatis. Plerumque foetent et acida sunt. Quae vomita postero tempore insigni fusco seu nigro sunt colore et continent fere semper flocculos vel cinereos vel fuscos. Quod momentum longum per tempus insigne carcinomatis ventriculi signum habebatur, sed Andral et Chartel demonstraverunt, illum vomitum et in gastritide chronica et in ulceratione ventriculi inveniri.

Cui retardatione vomendi, quam supra tractavimus, alia informis dilatationis signa accedunt. Alvus enim dilatatur; quae dilatatio crescit cnm ventriculi dilatatione. Interdum satis distincte ventriculi dilatati for-

ma seu tactu seu visu per tegumenta alvi sentiri potest. Saepe numero seu dilatatum premis locum seu aegrotus se movet gargarisationem audire potes, quae ex evolutione gasorum in ventriculo exoritur et percussione eo loco, quo gasorum accumulatio adest, sonum invenimus tympanicum, qui prout aegrotus locum mutat et ipse locum mutare solet; et quidem, si aegerstat, in superiore ventriculi parte, si jacet; in media parte ventriculi invenitur. Porro ventriculi dilatatio magni est momenti in situm ventriculi tumorum, Eo enim, quo ventriculus altius descendit, etiam tumorum situs commutatur ita, ut, quum antea ad processum Xiphoideum tangi potuissent, situm mutent et altius descendant. Dilatatio ventriculi vero etiam in hominibus invenitur, qui mnltum cibum sumere solent, quo muscularis tunica debilitatur et dilatationi informi ventriculi resistere non potest. Cujus mali symptomata his verbis Krukenberg, doctissimus, docet: „Dilatatio nimia ventriculi usu est rarissima, neque nisi in senibus et iis quidem senibus invenitur, qui usque immodicam copiam cibi assumere soliti sunt. Hi primitus querentur digestionem debilitatam, pallescunt, de valetudine timent, amant salita et aromatica vel acria, quibus appetitus ciborum augetur. Post coenam incommoda crescunt et tum praecipue aegroti ructibus foetentibus tur-

bantur; dolor autem et pondus ventriculi plane absunt. Tandem oritur vomitus, qui initio rarius, temporis autem decursu singulis diebus semel vel etiam saepius redire solet. Is vomitus fit sine ulla contentione, ut subito exsilire quasi videatur materia fluida ex ventriculo; ea non foetet, interdum acida est, fere semper continet floccos vel cinereos vel fuscos et tanta est copia, quae vehementer superet copiam ciborum, quos aeger antea ceperat. Interim ructus fiunt et frequentiores et magis foetentes, lingua pura manet, aeger autem plenitudinem abdominis accusat. Venter fit extensus et rotundus, praesertim sub umbilico, nusquam autem durus est, compressio ejus aegroto nauseam movet, et ructus atque saepe etiam aliquid materiae fluidae, quae in ventriculo continetur, quasi ex utre compresso ad fauces adscendunt. Ceterum tales aegroti non valde laborant, tandem macie confecti ultimis vitae diebus nihil fere edunt et tranquille et placide moriuntur. Corpore secto ventriculus apparet praeter modum extensus, ita ut interdnm dependeat usque ad ossa pubis; continere solet octo vel duodecim pondo humoris cinerei vel fusci; parietes ejus extenuati, sed nusquam indurati aut ulcere consumpti inveniuntur."

Si vero cardia, seu portio ventriculi cardiaca sedes mali est, symptomata differunt ab iis, quae supra diximus.

Aegroti in superiore epigastrii parte infra sternum, inter humeros vehementissimis cruciantur doloribus, qui augentur cibis devoratis. Initio aegroti bolum vi tantum deprimere possunt, quem in scrobiculo cordis haerescere credunt. Si malum progreditur, cibi mox, postquam sunt devorati, regurgitantur. Plerumque muco et interdum caseosa massa mixti sunt et acidum odorem spargunt. Specillo in oesophagum inducto plerumque coarctata cardia obsistit et specilli retracti apicem sanguine et pure indutam invenimus. Deglutandi molestiae magis magisque augentur, aegroti liquida tantum alimenta consumere possunt. Denique ostium maxime coarctatum cibis transitum recusat et aegroti fame mortem obeunt. Operam quoque dederunt symptomatibus investigandis, si malum alium locum quam pylorum seu cardiam obtinet. Si carcinoma ventriculi fundum corripit, vomitus incertis intervallis exoriri et aegroti admodum mature, digestione omnino deleta, obire dicuntur.

Quodsi degeneratio ventriculi maxime est progressa, concoctionis molestiae ad summum perveniunt fastigium. Vel minima nutrimentorum copia, quam ventriculo tradunt, aegroti angore vehementissimo cruciantur, maximisque doloribus conquassantur. Saepe

numero dolores continui fiunt, aegri sentiunt rosionem, morsum atque ardorem, quamsi carbo candens in epigastrio jaceat. Alvum sentiunt quasi constrictam; rarissime dolores fulminantes exoriuntur ut degeneratione aliorum organorum carcinomatosa gigni solent. Alvus plerumque ab initio est adstricta et quidem eo magis, quo plus aegrotus evomit. Appetitus est depravatus seu omnino exstinctus, lingua pura manet, cujus papillae plerumque magis sunt explicatae. Cutis aspera helvo deinde flavo colore induitur, quem multi signum dyscrasiae carcinomatosae habent, qui vero etiam multis in morbis, sanguinis dissolutioni conjunctis, invenitur. Secretio urinae est rara, vox aegroti debilis. Aegrum in dies magis conficit macies, cui sub finem leve anasarca et oedema faciei et extremitatum inferiorum adjungitur. Interdum etiam alvus intumescit liquore, Oculi languidi sunt et latentes et facies magnum reddit manifestum malum. Dum in cetero organismo jam mature intercedunt impedimenta, vasorum systema longum per tempus intactum manet. Sub finem plerumque pulsus fit debilis et parvus. Multi aegri ad melancholiam inclinant, quae, ut Cruveilhier dicit, summum ascendit fastigium, ventriculo fere toto carcinomate correpto. Ultimum transformationis stadium carcinomatis, est stadium exulcerationis. Pyloro carcinomatoso exulcerato vomitus

desinere potest. Saepe tunc diarrhoea incipit et quidem vel crudorum alimentorum. *) Sed eo, quod ventriculus longum per tempus fuerat antea expansus, talis atonia ventriculi intercessisse potest, ut nihilo minus pyloro transitui patefacto, nutrimenta in ventriculo accumulentur nec dilatationis signa discedant. Etiam, si cardia carcinomatosae stenoseos sedes est, exulceratione cibornm via libera fieri potest. Exulceratio quum fit, aegroti crebro nigras evomunt massas, quum evomita sanguine, qui e fungosis excrescentiis emanaverat, colerati sint. Neque vero sanguis hac exigua tantum copia sed etiam multo majore effundi potest, parietibus majorum vasorum, ex. gr. arteriae coronariae dextrae peresis. Etiam ex intestino recto et ano copiosae accidunt haemorrhagiae. Certum exulcerationis signum non habemus quum et omnia alia signa, ut marasmus, hydrops exulcerationi antecedere possint et interdum aegroti, pseudosplasmate exulcerato, nullum ostendunt signum e quo ventriculi malum cognosci possimus. Inprimis Schoenlein hoc in ejusmodi aegrotis observavit, in quibus postea etiam pulmonum phthisis exarsit. **)

---

*) Schönleiu Klin. Vorträge. Obs. 37.

**) Schönlein Klin. Vorträge Obs. 36.

Neque raro accidere solet, ut ulcus carcinomatosum in alias partes transgrediatur, qua re communicationes efficiuntur eoque modo fieri adeo potest, ut anteriori abdominis paries perforetur atque ita ulcus extrorsum errumpat. Haud raro igitur adhaesio aegrotae ventriculi partis cum jecinore generatur, unde processus aegrotationis in hoc transire potest. Quodsi non cum aliis organis abdominis paries concrescit ac paries ventriculi funditus destruitur, contenta ventriculi in cavitatem abdominis infunduntur atque hinc peritonitis exardescit.

Jam vero temporis intervallum, quo carcinoma ventriculi perseverare potest, varium et incertum est. Plerumque hoc malum chronico utitur decursu, ut nonnunquam complures anni interfluant, priusquam aegroti eo conficiantur. Verum tamen interdum morbus rapidiorem habet decursam. Quod cum accidit, perforatione incidente eamque sequente peritonitite mortalis exitus celerius properari potest. Atque mors et ex marasmo concidatur; aegrotus, viribus debilitatis, vehementer confectus non amplius vomitu se sublevare potest. Respiratio magnopere impeditur. Singultus et syncope existunt, vel etiam convulsiones hominem corripiunt. Pulsus irregularis et minutus fit, aegrotus

saepe numero luminis instar exstinguitur, vel postremo demum deliria ad breve tempus accedunt. Iste exitus etiam alvi profluvio colliquativo potest accelerari aut, quemadmodum jam supra demonstravimus, perforatio incidit et contenta ventriculi in cavum abdominis introeunt eoque modo lethalis peritonitis efficitur, vel denique profusae sanguinis effusiones e vasis adesis aggrediuntur, quae non ita multo post hominem interficiunt. Verum etiam sanatio eorum, qui carcinomate ventriculi laborabant, in tempus solo naturae auxilio facta est*).

AETIOLOGIA.

Carcinoma ventriculi, ut diversis hominibus hoc malo laborantibus diligenter inter se comparatis repertum est, creberrimum inter sexagesimum et septuagesimum vitae annum, deinde secundum eam aetatem inter quadragesimum et quinquagesimum occurrere solet. E numero septuaginta sex casuum, qui in comparationem venerunt, nemo aegrotus erat, qui non vicesimum

*) Henoch, Klinik der Unterleibskr. II. Band. 171.

annum transegisset, quatuordecim minus quadraginta annos nati erant, quum sex et quinquaginta mediam superassent aetatem. Ut vero ad discrepantiam sexuum veniamus et quaeramus, quantum ea in carrinomata ventriculi valeat, investigatum est: mares multo saepius hoc malo affectari quam mulieres. Quod utrum inde repetendum sit, quod in feminis uterus et mammae crebro carcinomate corripiantur, an hinc fiat, quod mulieres minus quam viri ad ebrietatem propensae sint, ex qua tot tantaeque affectiones ventriculi oriuntur, certo dijudicari nequit. Accedit, quod complures carcinomatis ventriculi casus in eadem atque una familia observandi copia facta est. Quae res haud obscure hoc malum hereditate propagari videtur significare. Similiter singularis quaedam dyscrasia carcinomatosa causam videtur praebere, quae ad evolutionem hujus mali praedisponat. Etiam scrophulosis talis esse dicitur, quae ad carcinoma ventriculi gignendum disponat. In nonnullis regionibus carcinoma ventriculi endemicum observatur atque more, consuetudine et usu, quae illic dominantur, concitari videtur. Ita, ut pauca exempla afferam in Suevia superiore, in saltu nigro, qui dicitur et ad lacum, quem vocant „Bodensee" endemicum occurrit cujusque rei causam Autenrieth in eo sibi videtur indagasse, quod illis regionibus praecipue

cibi ex farina cocti, ad digerendum per difficiles, poma terrae multique cibi acidi alendorum hominum causa adhibeantur. Item satis crebro circa Herbipolim et Esslingam observatur atque ibi nomine „Magenschluß“ notum ac pervulgatum est. Hic vero potatio musti pomorum et novorum acidorum vinorum, qua libenter utuntur, ad hunc morbum procreandum valere videtur. Eodem modo carcinoma ventriculi in Lombardia italica frequenter occurrit. Praeterea ejusmodi homines huic malo inprimis obnoxii sunt, qui potiones acres, spirituosas, pravae qualitatis, haurire consueverunt, tum praesertim cum curis exedendibus, aerumnis, aegritudine aliisque affectibus animi vehementer deprimentibus, concutiuntur. Deinde abusas acidorum, potuum eorum, qui mentem stimulant, infusi fabae coffeae et theae ad procreandum illud malum haud parvum valere traduntur. Eodem addenda sunt aliae causae: diutunum jejunium, prava alimenta, abusus vomitivorum et purgantium, denique chronica gastritis.

PROGNOSIS.

Carcinoma ventriculi per se deterrimum malum est, quod nullo modo sanari potest. Quamquam in primis sane stadio, priusquam carcinomatosa degeneratio exsistit, sperari quispiam possit, fore, ut aegrotus in bonam restituatur valetudinem, ac fuerunt qui nonnullos casus describerent, ubi carcinoma ventriculi his in stadiis sanatum esset. Verum tamen, cum imprimis levioribusque stadiis perdifficile sit vel adeo fieri omnino nequeat, ut carcinoma ventriculi ab aliis morbis sanabilibus et minus perculosis discernatur, semper adhuc vehementer dubitatur, malum an revera basin carcinomatosam habuerit nec ne potius aliud malum tolerabilius et meliore indole praeditum fuerit. Quodsi aegrotus jam ad extremum stadium pervenit, si frequenter fuscae substantiae vel etiam sangius evomuntur, si denique marasmus ceteraque propria et manifeste significantia symptomata apparent, tam aegrotus vitae fini celeriter appropinquat neque eum quidquam ab imminente pernicie vindicare potest.

CURA.

Praeter cetera hoc cavendum est et diligenter providendum, ut malum, si ex propinquo imminere videtur, quam maxime prohibeatur. Illi aegroti, in quibus symptomate existunt, unde incipiens ventriculi carcinoma concludere possis, quique maxime usui potuum acrium et spirituosorum se dediderunt, ante omnia huic pristino usui renunciare debent. Si aegroti nihil aliud se sentire queruntur nisi leviores valetudinis perturbationes, veluti aestum ventriculi, medici ut praestantissimum remedium praeceperunt, ut permultum aquae frigidae maxime horis matudinis sumeratur. Deinde, si fieri potest, omnis ventriculi mali affecti irritatio evidetur. Omnia medicamenta irritantia admittere nequeunt, itemque nutrimenta omnia, quaecunque ad vigorem et actionem ventriculi valde augendam aliquantum conferunt. Diaeta lenis, quae irritatione caret, hoc loco ceteris anteponenda est, atque hunc in finem praecipue usus lactis optimus videtur, ita dumtaxat, ut aegroto paucis aliis nutrimentis uti liceat vel uti levibus carnibus. Tamen si quando aegroti nonnulli a lacte nimis abhorreant, experiendum est, num

forte lactem aut calidiorem aut frigidiorem melius tolerent. Saepenumero diuturno lactis usu formatio acidorum in ventriculo nimium augetur, quod ubi accidit, substantias neutralisantes veluti aquam calcis, natron carbonicum, magnesiam ustam et similia adjicere, consentaneum est. Nonnullis casibus fieri etiam assolet, ut aegroti nihil aliud nisi lac ebutyratum tolerare queant. Quodsi morbus ad inflammationem transire videtur, tum nisi forte alii indicationes repugnant, cura antiphlogistica utendum est. Aliquoties hirudines regioni ventriculi vel ano applicandae sunt, quae si deciderunt, cataplasmata loco imponi oportet, in quo dolores commoventur, item calidae lavationes multum proficiunt. Intus praebenda sunt Belladonna et Opium, quod crebro solum remedium relinquitur, quo acerrimi dolores sedentur. Factis sanguinis subtractionibus saepissime infrictiones unguenti tartari stibiati commodae sunt, item perutilis applicatio exutoriorum. Fuerunt etiam, qui etiam resolventia contra ventriculis carcinoma adhibenda commendarent, veluti mercurium et jodum, quae tamen multo plus homini male affecto nocent quam prosunt. Sed plerumque nihil aliud restat nisi ut ratione palliativa contra hoc malum utamur. Itaque opera danda est, ut acerrimos et graviter pungentes dolores quam maxime leniantur, vomitus et fla-

tulentia minuantur. Hoc quoque loco narcotica prope sola ad sublevandos dolores idonea sunt. Persaepe vesicante in epigastrio applicato, multum proficitur et similiter endermatici opii usu. Quodsi morbus ad eum usque locum progressus est, ut aegroti, quidquid sumserunt, vomitu ejiceant, frustulis glaciei, quae in ore liquescere oportet vel orbiculis, e fructibus citri medicae excisis, quos exsugunt, ardens illa, qua maxime affectantur, sitis setanda est, vel balneis lavantur et abdomen humidis compressis tegitur. Nutritio aegroti efficienda est clysmatis, ex jure gelatinoso pluribus ovi vitellis mixto paratis seu balneis gelatinosis et polentosis.

VITA.

Natus sum ego Julius Franciscus Purrucker Cizae die XIX mensis Augusti anni h. s. XXXI, patre Friderico, matre Albertina, e gente Josephina, quos morte mihi ereptos esse lugeo. Confessioni addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis imbutus Gymnasium adii Cizense et maturitatis testimonio munitus autumnali tempore anni h. s. LI universitatis Julianae Maximilianae Herbipolitanae civibus adscriptus sum. Postea in academia Lipsiensi, Berolinensi et Halensi artis medicae studia persecutus, hisce interfui scholis.

Herbipolae: Ill. Koelliker de anatomia corporis humani; Ill. Mueller de osteologia et syndesmologia; Ill. Osann de physice et Ill. Scherer de chemia generali.

Lipsiae: Ill. Petermann de botanice, Ill. Poeppig de zoologia, Ill. Naumann de mineralogia, Ill. Hartenstein de logice, Ill. Lindner de psychologia, Ill. Erdmann de chemia anorganica et organica, Ill. Lehmann de chemia physiologica, Ill. Weber de arte cadavera rite dissecandi, de physiologia, de anatomia topographica et de anatomia generali et embryologia, Exp. Carus de anatomia comparativa, Exp. Funke de phy-

siologia et embryologia, Exp. Germann de arte obstetricia, de operationibus obstetriciis nec non scholis clinicis interfui.

Berolini: Ill. Mueller et Schlemm de arte cadavera rite dissecandi, Ill. Mitscherlich de materia medica et medicamentis excitantibus, Exp. Meckel de anatomia pathologica, Ill. Juengken de chirurgia generali et speciali, Ill. Romberg de pathologia et therapia speciali, Exp. Ebert de infantum morbis, Exp. Traube de exercitationibus diagnosticis.

Scholis clinicis interfui: medicis Ill. Schoenlein et Leubuscher, chirurgicis et ophthalmiatricis Ill. Langenbeck.

Halis: Ill. Krukenberg de pathologia et therapia generali, Ill. Blasius de akiurgia, de luxationibus et fracturis ossium, de arte rite fascias applicandi, de vulneribus et herniis. Scholis interfui clinicis: medicis Ill. Krukenberg, chirurgicis et ophthalmiatricis Ill. Blasius, obstetriciis Ill. Hohl.

Quibus viris maxime de me meritis summas ago gratias semperque habebo.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec minus rigoroso superatis examine, spero fore ut dissertatione thesibusque publice defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

I.

Cystici nihil aliud sunt, nisi cestodum scolices et embryones.

II.

Narcotica multum prosunt in ventriculi carcinomate curando.

III.

Typhus initio certa non habet symptomata.